



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmeſtadi[i], 1671

Cap. X. Tiberius de Christo complacatur per Pilatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

HAYMONIS HISTORIÆ

C A P. VII.

Actus Philippi Diaconi.

Philippus, unus ex septem Diaconibus, descendit Samariam, & habuit gratiam prædicandi, ita quod *Simonem Magum*, apud Samaritanos tum celebrem, sua prædicatione consternit. Qui etiam ab eo suscepit baptismum, sed in dolo. Sed & *Candacem*, Præpositum cujusdam Reginae Æthiopiæ, convertit & baptizat.

C A P. IIX.

Vocatio Pauli Apostoli.

Per idem tempus Paulus in Apostolatam vocatur, cœlesti ad se voce delata.

C A P. IX.

Suggestio Pilati ad Tiberium.

Interea, cum de Domino Iesu Christo circumquaque fieret rumor, *Pilatus* de mirabilibus ejus & resurrectione *Tiberio* principi refert, & quod beatus à plurimis crederetur. Mos quippe erat apud Romanos, ut si quid novi in Provinciis accidisset, Imperatori vel Senatui nunciaretur.

C A P. X.

Tiberius de Christo complacatur per Pilatum.

Tiberius ergo monitus à Pilato, quæ compererat, refert ad Senatum. *Tertullianus*. Datum enim erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur. Senatus autem spre-
viffe

visse dicitur, quia sibi prius non fuerat delatum, sed
 auctoritatem suam vulgi prævenerat opinio. Tibe-
 rius autem manet in sententia, comminatus pericu-
 lum accusatoribus Christianorum. Quo per divinam
 providentiam adversus nostros clementer agente,
 mox brevi tempore in omnem terram prædicatio
 diffunditur. Convertuntur innumeræ multitudines,
 & per doctrinam Christi, & virtutum miracula, ad Ec-
 clesias congregantur. *Cornelius* in Cæsarea primus,
Petro ministrante, convertitur; in *Antiochia* perpluri-
 mi de gentibus credunt, ubi florentissima congrega-
 tur ecclesia per Discipulos, sub *Stephano* in prima per-
 secutione dispersos. In qua etiam erant Prophetici
 ordinis viri, cum quibus *Paulus* & *Barnabas*.

C A P. XI.

De impositione prima Christiani nominis.

Ibi primum Discipuli, imposito in fonte Baptismatis
 vocabulo, *Christiani* nuncupantur. Ibi & *Agabus*, ex
 Prophetis unus eorum, qui aderant, de fame futura
 sub *Claudio* prophetavit. *Tiberius* viginti & duobus
 annis sedit.

C A P. XII.

Quomodo Iudæis multa mala acciderint.

Interea *Tiberius*, post viginti & duos annos principa-
 tus sui, moritur. *Cajus* succedit in imperio, tradens *A-*
grippæ regnum Iudæorum, simul *Philippo* & *Lisaniæ* &
Herodi Tetrarchias, præfato *Herodi* perpetua depor-
 tationis pœna imposita.